





DISSERTATIO  
DE  
SANITATE,

1718, 18. 3

QUAM  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS  
MEDICÆ CONSENSU  
SVB PRÆSIDIO  
DN. D. POLYCARPI GOTT-  
LIEB SCHACHERI,  
P. P.

AD D. II. SEPTEMBR. ANNO MDCCXVIII.  
L. H. C.

M. GOTTLIEB FRIDERICI,  
Tauchens-Mifnicus,  
PVBLICO EXAMINI  
SVBJICIT.

LIPSIAE,  
LITTERIS SCHEDIANIS.

41.

*H. Prof. Junij*




DISSERTATIO  
DE  
SALUTATE  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS  
MEDICÆ CONSENSU  
Suo studio  
D. D. DOCT. CAROLI GOTTL.  
FRIBERICI  
P. P.  
AD D. M. SEPTEMBER ANNO MDCCXXVII  
L. H. C.  
M. GOTTLIEB FRIBERICI  
PUBLICO EXAMINI  
LIPSIÆ  
LUDWIG SCHNEIDER

*Prof. J. J. ...*

Equi  
fac  
mon  
ad  
des  
  
fibi  
alio  
qu  
his  
nu  
to





§. I.

**Q**uam dissonæ de principio vitali Auctorum sententiæ sint, quæque nobis omnium probabilissima videatur, in binis antecedentibus dissertationibus paulo distinctius declaravimus. In præsentî animus fert, sanitatis naturam in genere investigare. Equidem me non latet, hanc a variis varie describi, & sæpe inanes lites de eadem moveri, missis tamen istiusmodi tricis, naturalem partium hominis dispositionem ad examinis incudem nonnihil revocabimus, quo tandem innotescat, in quo sanitatis natura consistat.

§. II.

Quod ad partes solidas attinet, sane has omnes ex fibrillis tenuissimis mirabilem in modum esse contextas, alibi jam jam indigitatum fuit. Proinde ad sanitatem requiritur, ut non modo fibræ justa integritate, sed & ex his composita organa decenti figura, magnitudine, situ, numero, connexione, amplitudine, firmitate, temperie, tono atque agilitate gaudeant.

A 2

§. III. Fi-

## §. III.

Fibrarum integritatem sanitati apprime conducere, vix ulla indigere videtur probatione. Sive enim ad cubilibet partis actionem propriam, sive ad fluida per tubulos partium fluentia respicias, nunquam non opus est, ut fibrillæ integræ sint atque continuæ. Hinc unitate earum soluta, ut in erosione, ruptura, vulnere, ulcere, fractura animadvertere est, non duntaxat fluida a via regia deflectentia corruptionis labe inficiuntur, verum organorum etiam actio plus vel minus læditur.

## §. IV.

Præterea valetudini obest, si partes justam figuram haud fuerint indeptæ. Quemadmodum enim ad objectorum externorum operationem ab organis sensorii recipiendam, nec non ad aliarum partium actiones rite peragendas, earundemque convenientem situm, congrua figura requiritur; ita eadem immutata, sanitas sensibilibus labefactatur. Sic gibbosi de spirandi difficultate, fracturam hujus vel illius membri perpeffi maleque curati de deformitate membri hujusque motu læso conqueruntur. Ut nihil jam de vitiata variarum partium figura & conformatione dicam, quam in hermaphroditis, monstris similibusque multoties observamus. Sed, ut ingenue fatear, non omnis membri figura a naturali aliquantum discedens vim sanitati infert; quem enim latet, valgos subinde nihil incommodi ambulationis tempore percipere, ac ceteroquin integra frui sanitate. Quare si membri cujusdam figura nulli actioni quicquam officiat, neque partem monstruosam & nimis deformem reddat, hæc quidem formositatem nonnihil deturpat, tamen valetudinem propterea haud infirmit, id quod in naso nunc

recto,

recto, nunc curvo varieque figurato quotidie animadvertitur. Quia vero formositas toti corpori non minimam conciliat gratiam, vitio omnino iis verti nequit, qui de præcavenda vel emendanda prava membri figura sunt solliciti. Optime hinc sibi consulunt, qui recens nativæ membra provide tractant, ut ne viciatam figuram contrahant, quod sæpius accidere solet, dum tenelli citius iusto stare & ambulare coguntur. Cum enim crurum ossa molem corpoream superincumbentem propter teneram structuram suffulcire nequeant, sed potius corpori deorsum nitenti cedant, fit utique, ut recta illorum figura paulatim in curvam mutetur. Idem iudicium esto de thoracis ossibus, utpote quorum incrementum & ampliatio non raro propter arctam fasciarum ligaturam non sine respirationis damno impeditur. Quodsi vero membra tenellorum bene figurata varias ob causas gratiam suam perdere queunt, sponte innotescit, in recens nato pravam capitis, crurum aliarumque partium figuram debita cura adhibita non difficulter emendari. At si malum altas nimium egerit radices, membraque non mediocriter robur & ossa insignem duritiem acquisiverint, plerumque quævis incassum adhibentur, & vere dolendum, formositatis amatores sæpe ab ignara plebe talia expetere auxilia, quæ magis sunt nociva quam proficua, tamen hoc in passu surdis plerumque narretur fabula.

## §. V.

Porro sanitas iuxta partium corporis magnitudine sustentatur. Jam vero de pygmæis, de gigantibus, deque discrepante naturali corporis magnitudine haud est sermo. Quando enim partes corporis individualiter consideratæ iuxta symmetriam & proportionem gaudent, nil impedire videtur, quo minus tale corpus integra fruatur

A 3

sanitate.

sanitate. Equidem plerumque pygmæi iusto sunt torpidiores, minus robusti, animi hebetis, ad venem minus proni atque ad fœcundum congressum inidonei, videas tamen interdum pumiliones non mediocri ingenii acie corporisque robore præditos, in castris veneris alacres, atque ad prolem propagandam aptos satis atque idoneos, non obscuro argumento, homines hoc in passu haud deterioris conditionis esse canibus similibusque animalibus, quippe quæ non obstante varia corporis magnitudine actionibus suis expedite præesse solent. Neque vero varia labiorum, nasi, oculorum, manuum, pedum aliarumque partium magnitudo sanitati obest. Quantumvis enim præmemorata partes varia exilitate aut magnitudine formositate aliquid nunc addant, nunc detrachant, corporique robur varium concilient, tamen ignotum esse nequit, oculis, naribus, labiis similibusque organis magnitudine eximiis instructos cum iis, qui hisce partibus paulo minoribus sunt donati, de sanitatis vigore certare. Quare si partes majores minoresque nihil molestiæ corpori creant, nullique actioni remoram injiciunt, varia earum magnitudo sanitatem nullatenus lædit. Sed enimvero si partium magnitudo communes & solennes naturæ leges penitus transiliat, vis utique sanitati inferitur. Cui enim non liquet, caput prægrande, aut hydrocephalo correptum actiones animales, nasum a polylo monstrosè inflatum odoratum, nimiam obesitatem respirationem & motum localem, tumores quarumcumque demum partium harum functiones, vel partes nimis exiles, ut in tabe, aut in digitis, manibus, pedibus aliisque partibus justam magnitudinem haud indeptis & imperfecte formatis, nullamque proportionem cum toto corpore habentibus animadvertere est, varias actiones lædere multasque molestias ægro parere.

§. VI. Sa-



## §. VI.

Sanitati amplius haud parum justus quarumlibet partium situs conducit. Quemadmodum enim natura ordinem amat, ita universas corporis partes tam nitide disposuit, ut quælibet situm actioni suæ convenientem obtineat. Vix itaque ac ne vix quidem is sine sanitatis detrimento mutatur. Equidem testiculos a nativitate in abdomine absconditos neque spermatis fecundi elaborationem turbasse, neque aliud quippiam damnum corpori attulisse, historiae litterarum monumentis consignatae affatim docent, tamen nonnunquam testes definito tempore non sine dolore summo & insigni molestia e ventre prorupisse, & paulatim singularissimo naturæ ductu in receptacula sua naturalia detrusos fuisse, experientia pariter fida rerum magistra perspicue confirmat. Sic porro non minimum naturæ lusum in vasorum ortu eorundemque distributione animadvertimus, tamen inde non necessario valetudini aliquid damni inferatur. Nihil tamen secius plerumque partium situ a naturali discedente sanitatem lædi, non solum perverfus epatis, ventriculi similiumque organorum situs, verum etiam partes post nativitatem e sede naturali deturbatæ, clare probant, ut in luxatione, hernia, uteri procidentia &c. observare est.

## §. VII.

Uterius ad sanitatem justus partium numerus requiritur. Uti namque summus Architectus nullam in corpore partem frustra condidit; ita omnes in sanitatem corporis conservandam amice conspirant; Accidit quidem interdum, ut partes quædam citra sanitatis læsionem luxurient, ut in duplici triplicique arteria emul-  
gente

gente, spermatica, triplici testiculo &c. videre est, tamen ordinarie pro partium varia indole sanitas plus vel minus læditur, si nempe eæ vel excessu, ut in monstris bicorporeis, bicapitibus, tribus vel quatuor cruribus, aut totidem brachiis instructis, observare licet, aut etiam si eadem defectu peccent, ut acephali, monoculi, monorchides, pedibus manibusque privati docent. Licet enim monoculus v. gr. ceteroquin integra utatur valetudine, & sæpe robustioris sit constitutionis exquisitiorque visu polleat illo, qui binis oculis est ornatus, tamen uti sanitas non ad unam alteramque, sed ad omnes & singulas partes spectat, certe si pars quædam penitus deficiat, minimum hujus partis actio læditur, sanitasque imperfecta redditur, tamen si reliqua organa functionibus suis etiamnum rite p̄fungantur.

## S. VIII.

Compositionem partium organicarum admirationis esse plenissimam, ab eaque stupenda effecta, sanitati conservandæ necessaria, pendere, non nisi artis Anatomica rudem latere potest. Quare si partes naturaliter discretæ unitæ, & unitæ discretæ observantur, non potest non valetudo incommodo adfici. Hinc si lingua frenulo justo breviori vel longiori substratis partibus alligata, buccæ gingivis late adnatæ, digiti aut articuli invicem coaliti sunt, certe functiones a partibus illis pendentes haud parum læduntur. Idem propemodum judicium esto de partibus vel a nativitate, vel post eandem præternaturaliter dissociatis, ut in labiis leporinis, dislocatione similibusque affectibus observari solet.

## S. IX.

Neque vero minus congrua quarumlibet partium  
amplitu-

amplitudo sanitati confert. Nihil jam de ventribus dicam; quantumvis enim hi in variis subjectis ratione amplitudinis variant, nihilque mali inde sanitati immineat, modo ii ita sint comparati, ut viscera commode asservari, & hæc functionibus suis rite præesse queant, tamen si cavitates illæ ratione individui justo sunt vel ampliores, vel angustiores, varia inde emergunt mala. Quis enim ignorat pelvim in sexu sequiori nimis angustam partui difficili, vel immodice amplam uteri procidentia, vel abdomen ad genua pene usque propendens & molestæ ambulationi, & partui laborioso, vel partem ejus infere dilatatam herniæ, vel thoracem nimis angustum difficili respirationi occasionem subministrare. Neque cavitatibus in nonnullorum viscerum substantia conspicuis diu inhærebo, quales in ventriculo, intestinis, utero, vesica, corde animadvertimus. Nam licet & hæc in omnibus non sint ejusdem diametri, parum tamen interesse videtur, siue unus altero propter ventriculum ampliore robustioreque sit voracior, siue paulo major sanguinis per amplos cordis ventriculos circulantis quantitas intensius corpori robur inspiret, siue quis propter amplam vesicam diutius liquorem obscenum retinere queat illo, cujus vesica minoris est amplitudinis, modo digestio rite procedat, sanguis expedite circularem suum motum peragat, stas temporibus vesica urinam reddat, & quilibet diætæ constitutioni suæ convenienti studeat, ex varia præmemoratorum viscerum amplitudine sanitas nihil detrimenti capiet; nihilo tamen fecius multoties accidit, ut prædicta viscera nimia amplitudine vel angustia non minimam vim sanitati inferant. Cui enim quæso ignotum est, ventriculo nimis expanso & extenuato, quod frequenter in potatoribus observamus, appetitum alimentorum languere & digestionem lædi, vel

B

orificio

orificio ejus superiori aut inferiori obstructo aut externe compresso, vel fundo ejus propter inediam diutius solito protractam nimium corrugato, nunc deglutitionem lædi, nunc vomitum excitari, nunc chylicationem turbari. Idem animadvertere licet in intestinis, quæ enim eheu mala ex iis a scybalis durioribus obstructis, vel præfente hernia compressis, vel nimium corrugatis proveniant, eos latere nequit, qui vel denatorum sectionibus adfiteri, vel in Auctorum observationibus evolvendis non leviter sunt versati. Sic pariter summum vitæ periculum imminet, si ventriculi & auriculæ cordis a polypo obstruantur, aut si pelvim renum, aut vesicam occupet calculus, aut si hæc ab urina copiosa subito dilatata fatali ejusdem suppressioni occasionem det. Nec fuse in præfenti commemorabo articulorum cavitates, utut enim hæc pro diversa corporis magnitudine sine sanitatis læsione differant, si modo ossium capita oppositis cavitatibus accurate respondeant, tamen si hæc a nativitate sunt nimium amplæ, vel propter tophaceam materiam in iis natam solito angustiores, sane non modo articuli motus læditur, verum subinde etiam luxatio immedicabilis excitatur. Sed præcipue jam vasorum ductuumque amplitudinem non nihil examini subicere lubet. Quantumvis vero naturalem quorumlibet vasorum amplitudinem nullatenus definire queamus, sed potius ex effectu eandem conjiciamus, dum nempe quælibet fluida vascula sua sine remora pervadunt, secretio animalis ex voto procedit, sanguisque a variis quisquiliis beneficio colorum eum in finem in variis corporis partibus exstructorum repargatur, videas tamen in sic dictis sanis non minimam tubulorum differentiam, & ab ea pendentem variam corporis constitutionem, hujusque ad certos morbos propensionem. Sic rationi perquam est consentaneum, orificiola aut si major

poros

poros vasorum lactiferorum diversæ esse diametri. Quare si per exilissimos porulos nonnisi fluidior & subacta chyliporrio transcoletur ac pedetentim ad sanguinem defertur, veri videtur simillimum, sanguinem sic fluidiorem magisque activum, & cum eo corpus agilius, & ad vividiores motus, qui etiam vim suam in animi pathemata exerunt, concipiendos proclivius reddi, atque ab obesitate, calculosis & articularibus affectibus immune præstari. E contrario chylus particulis viscido-tartareis onustus & per patentiores poros trajectus si paulatim in venas influat, & cum sanguine miscetur, fieri omnino potest, ut sanguis minus fluidus minusque cum reliquo corpore vegetus evadat, ita ut hoc ad somnum & lassitudinem magis sit pronum, minusque alacre, in obesitatem vel etiam processu temporis in cachexiam, tumores œdematosos, calculum similesque affectus delabatur. Consimilem differentiam in tubulis occultæ transpirationi dicatis animadvertimus, cum unus altero pro varia cutis densitate & porositate nunc facilius, nunc difficilius transpiret, hinc sane nonnulli, quorum pori cutanei sunt patentiores, perfacile sudant, cum contra alii, quibus poruli admodum sunt angusti, difficillime sudorem excernant, imo subinde nec sudoriferis ad sudationem adigi queant. Quæ varietas pororum & ab ea pendens occulta transpiratio hæud parum corporis constitutionem variare solet. Hinc non citra rationem *Hippocrates* quondam eos, quibus corpus bene transpirat, imbecilliores & salubriores existere promteque ad sanitatem redire, judicavit. Aliis quippe sunt imbecilliores, quoniam eodem tempore jacturam multarum alibilium & activarum particularum, a quibus robur & vigor corporis pendet, patiuntur. Hi vero aliis sunt salubriores, quod in iis sanguis recte expurgetur. Et si morbo corripiantur, facilius ex eo ministerio hujus expurgationis eluctantur.

Quibus vero corpus, eodem Auctore sic sentiente, male transpirat, ii, priusquam ægrotent, robustiores sunt, & cum in morbos inciderint, difficilius restituntur. Quibus namque parva est transpiratio, parum activi fluidi excernitur, atque ea propter sanitatis tempore robustiores sunt. Sed si in morbos delabantur, haud facile pristinam sanitatem recuperant, quia pravi humores difficulter evacuantur, & retenti diuturniorem perturbationem pariunt. Prolixum nimis foret, si doctrinam hanc reliquorum vasculorum secretioni inservientium exemplo illustrare velimus. Sufficiat monuisse, & in sanis variam tubulorum amplitudinem animadverti. Verum si ii justo ampliores vel angustiores sunt, corpus in præternaturalem statum incidat, necesse est. Sic notum est atque perspectum, vasa sanguiflua a polyposa substantia angustata circulem sanguinis motum turbare, vel eadem infuete dilatata anevrysmata & varicem gignere, vel apices arteriolarum summos nimium dilatatos modo diarrhœam, modo hæmorrhoidalem fluxum, nunc fluorem album & gonorrhœam movere, vel nimis angustatos fluxum menstrui sanguinis, aliorumque humorum excretiones naturales æque ac criticas lædere ac cohibere.

## §. X.

Porro ad sanitatem requiritur, quælibet partes ut iusta firmitate gaudeant. Id nemini ignotum esse opinor, partium firmitudinem pro ætatis varietate naturaliter variare. Quippe tenellorum partes sunt molles, adulatorum firmæ atque stabiles, senum rigidiores durioresque. Imo in cujuslibet ætatis hominibus insignem differentiam animadvertere licet. Hæc dubio procul est ratio, cur infantes nunc primo, nunc secundo, nunc tertio demum ætatis anno pedibus firmiter insistere atque expedite ambulare, aut cur jam citius, jam tardius loqui discant. Quando nam-

do namque articuli non mediocri temporis spatio cartilaginei, musculi graciliores & teneriores, fibræque linguæ madidæ nimis mollesque permanent, quævis actiones ab organis illis pendentes ægrius paulo procedunt, secus ac in iis observamus, in quibus intra brevioris temporis intercedentem prædictæ partes majorem firmitatem atque ideo majus robur acquirunt. Nec dissimilem differentiam in adultis observamus, cum sane ex iis alii carnem vasque ac reliquas partes firmas admodum & stabiles obtineant, ut imprimis in carnosis torosisque observamus, quique hinc non modo illos, quorum partes laxioris teneriorisque sunt texturæ, robore antecellunt, sed & laboribus gravioribus, frigori, æstui, similibusque rebus ferendis magis sunt idonei iis, qui ob teneriorem corporis constitutionem a levi causa afficiuntur & delassantur. Idem videas in senibus, quem enim latet, quorundam vegetam subinde esse senectutem, & in hac constitutos quaslibet pene actiones ex animi sententia peragere, quorum nempe cartilagineas flexilitatem & musculi molliem debitam retinent, at si paulatim cartilagineas spontaneo naturæ ductu duriores evadant, ac penitus ossilem naturam induant, fibræque musculorum aliarumque partium rigescant, ut a principio activo simul decrescendo paulo laboriosius moveantur, quid quæso mirum, si etiam hanc ob causam spina vertebrarum sit vel solito rigidior vel curva magis, sique minus agiles observentur articuli, sensusque externi hebescant. Licet itaque hæc firmitudinis differentia sint magis naturales, accidit tamen sæpius, ut partes contra consuetam naturæ ordinem laxitate vel rigiditate salutem haud parum affligant. Quanta enim mala ex ossibus cariosis, ceræ pene in modum emollitis, ligamentis, membranis aliisque partibus relaxatis, item ex tumoribus œdematosis vel scirrhosis, vel tunica cornea aliisque mem-

branis & partibus induratis proficiantur, nemini ignotum esse opinor.

## §. XI.

Ex hisce nunc sponte innotescit, ad sanitatem quoque tonum seu robur vel elasticitatem tubulorum atque partium ex his compositarum requiri. Licet enim supra jam jam monitum fuerit, robur partium naturale pro ætatis & individuorum varietate differre, ac præterea constet, idem fluidis intrinsecis activis & inprimis sanguini & spiritibus sibi mutuo contranitentibus simul deberi, tamen necesse est, tubuli ejusmodi naturali tensione gaudeant, ut non modo fluidis circulantibus renitentur, inque eadem reagant, verum etiam ad motum cuilibet parti proprium concipiendum prompti sint atque parati. Ceterum motus hujus agilitatem pro varia ætate haud parum differre, & subinde cum incommodo esse conjunctam, ex antecedenti thesi jam jam constat, imo hanc in juvenibus in optimo ætatis flore constitutis insigniter variare, si imprimis docent, qui naturæ benignitate nitide saltant, fidibus bellissime canunt, aliasve istiusmodi artes, ab insigni membrorum agilitate proficiscentes, ex animi sententia tractant, quas alii difficulter addiscunt, minusque expedite exercent. Equidem vix ac ne vix quidem specialis partium dispositio verbis exprimi potest, cujus vi eadem nunc celerius, nunc tardius moventur, nunc mirabili prorsus agilitate pollent, ut præcipue in chironomis & funambulis animadvertitur, tamen verisimillimum videtur, fibrillas pro varia elasticitate, majori minorique flexilitate combinata, celerius tardiusve, expeditius operosiusque a principio activo moveri. Interim parum interessè videtur, si quis articulos minus agiles obtineat, utpote qui sanitate secure fruens membrorum robore tarditatem sæpe compensat. At pessime sanitati con-



confulitur, si solennis partium tonus imminutus, fractus destructusque fuerit, ut imprimis in atonia & paralyfi videre est, aut si motus earum nimis intensus sit atque irregularis, variis spasmodicis affectibus id luculenter docentibus.

## S. XII

Tandem partes quoque solidæ naturali sua temperie ad sanitatem multum conferunt, indeque opus est, ut eæ neque calore, neque frigore, neque siccitate, neque humiditate sanitatem lædant. Negari quidem nequit, quasdam ex prædictis partium solidarum qualitatibus fluidis intrinsecis deberi, atque ab iisdem foveri, quoniam tamen quilibet manus v. g. calorem attribuit, tamen hic non nisi sanguinis spirituumque sit effectus, atque præterea partes solidæ naturaliter consideratæ his qualitatibus perpetuo gaudent, non abs re fore opinamur, si in præsentem earum quoque mentionem faciamus. Equidem quondam magnalis mota fuit eruditos inter, utrum cor calidius sit ceteris visceribus, an vero idem caloris gradus aliis visceribus quoque competat? tamen, cum experimenta a neotericis eum in finem instituta postremam sententiam dilucide stabiliant, non est, cur controversiæ illi penitus pervestigandæ jam inhæreamus. Id vero avtopia clare testatur, in sanis calorem per universum corpus æquabiliter diffusum non esse, imo quem latet, nonnullorum manus naturaliter tam frigidas observari, ut vix intensiori frigore febricitantium manus correptas animadvertamus, nihilo tamen secius & illi integra utuntur sanitate. Quod autem ad nonnullorum mentem hi temperie meliore gaudeant illis, qui manus naturaliter obtinent calidas, ego non facile dix erim. Uti namque calor index est vigoris, ita sublestæ fidei est eorum sententia, qui arbitrantur, frigus

gus manuum perfectiorem concoctionem aliorumque viscerum actionem præstantiorem indicare, cum sane ii, quibus manus sunt calidæ, optime digerant, eorundemque viscerum functiones perbene procedant, imo verosimilius videtur, hos robustioris esse temperamenti, utpote in quibus neque interne neque externe calor deficit, sed magis æquabiliter per totum corpus distribuitur. Videas autem idem corpus nunc magis, nunc minus pro alimentorum, aëris, animi pathematum, morusque varietate naturaliter incallescere, & vehementi motu exagitatam eum concipere calorem, quem vix in æstu febrili observamus, tamen ille nihil detrimenti sanitati adferat. Idem iudicium esto de frigore. Quid enim? anne sumus ægrorum numero accensendi, quando hyberno frigore læviente alacriter ambulamus, optimeque nos habemus, quantumvis etiam artus frige facti non nihil nobis tremant. Ex quibus non obscure apparet, neque intensius frigus, neque intensiorem calorem promiscue valetudini obesse. At enim vero si corpus frigore æstuque a causis præternaturalibus originem ducente adficiatur, certe tempore illo non modo partes iusto sunt vel frigidiores vel calidiores, verum variæ etiam functiones simul graviter læduntur, ut in inflammatione, scorbuto, febribus, syncope aliisque quam plurimis morbis quotidie animadvertimus. Quod ad humiditatem & siccitatem attinet, sane notabilem earum differentiam in partibus solidis naturaliter constitutis observamus, quippe ossa siccioris sunt temperamenti cartilaginibus, cartilagine siccitate ligamenta, hæc membranas sicque porro superant. Neque minor est disparitas, in variæ ætatis hominibus quæ animadvertitur: puerorum namque juvenumque partes sunt humidæ, senum sicciores, virorum mediæ veluti naturæ. Imo in nobis in qualibet ætate constitutis idem discrimen animadvertitur, quatenus corpus nunc

nunc majori, nunc minori humorum quantitate scatens efficit, ut partes sint jam siccioris, jam humidioris temperamentis. Quamdiu vero hæc fiunt sine sanitatis sensibili læsione, tamdiu qualitates illæ pro naturalibus habentur. Verum si accidat, ut juvenis cartilagineas eam siccitatem ac duritiem acquirant, quæ vix in senectute habetur, sponte innotescit, consuetis naturæ legibus vim inferri. Ita sæpius insolitam siccitatem in lingua, ore, manibus, imo in universo corporis habitu observamus, dum vel febre, vel scorbuto, similique affectu laborat æger, alio tempore ingravescente cædemate, hæctica &c. partes sunt justo humidiores, atq; hinc ad actiones suas rite peragendas minus agiles atque aptæ.

## §. XIII.

Transitum jam facimus ad partes corporis fluidas, concisæ earum dispositionem, a qua sanitas simul proficiscitur, consideraturi. Minime enim sunt audiendi, qui partes saltem solidas pro sanitatis subiecto habent, minusque apte id de fluidis dici posse opinantur. Quoniam enim iis perditis partes solidæ vitalitate omni exuuntur, ab iisdemq; nutritio aliæque actiones immediate dependent, atq; perperam constitutæ vim & impulsum organorum infringunt & respuunt, quilibet facile percipit, ad sanitatem corporis justam fluidorum & quantitatem & qualitatem motumq; requiri.

## §. XIV.

An humorum quantitas exacte definiri queat, impræfentiarum specialius determinare haud vacat. Ingeniosa interim sunt, quæ Clarissimus *Keilius* eum in finem adducit, cujus calculo fides si danda, homo centum sexaginta librarum minimum continebit centum libras humorum. Sed sufficit jam saltem monuisse, ab æquilibrio, quod partibus solidis cum fluidis intercedit, non levis momenti argumentum depromi, quo iusta fluidorum quantitas probari potest

C

est

est. Quemadmodum enim hoc ad sanitatem apprime est necessarium, ita idem cum sanitate fluidis l. excessu l. defectu peccantibus infinitis pene modis læditur. Propterea vero non omnis liquidus defectus pro præternaturali est habendus: quis enim infantes morbosos dixerit, quod testiculi eorum nihil spermatis conficiant, cum sapientissimo Creatori ita visum fuerit, ut appropinquante demum pubertatis tempore prædicta organa eam dispositionem acquirant, cujus vi sperma fecundum præparare queunt. Neq; puellarum sceminarumq; sanitati quicquam detrimenti imminet, dum mammæ earum perpetuo liquore lacteo haud sciant, sed saltem statis temporibus eundem a sanguine fecerunt. Atq; parum interest, sive hyberno tempore majorem, sive æstate minorem liquoris obscœni quantitatem egeramus, modo excrementum serum sufficienter extra œconomix animalis fines proscribatur, atq; æquilibrium partes solidas inter & fluidas illibatum conservetur, perinde omnino erit, sive idem majori, sive minori quantitate modo per vias Urinarias, modo per habitum corporis evacuetur. Et nonne in senibus secundum consuetas naturæ leges paulatim fluida corporis minuuntur, cum dubio sine hæc sit ratio, cur vires in iis decrescant, frons aliæque cutanæ partes rugis exarentur, caro flaccida magis sit & exsucca, quos tamen sanos plerumque dicimus, quamdiu actiones huic ætati convenientes benefatis se habent, nisi quis senectutem vel rotam pene vitam humanam morbum nuncupare velit. Sic vero quam maxime est consentaneum, pro cibi, potus, æris, motus, quietis, somni, vigiliarum, chylicationis, secretionis & excretionis varietate in sanis individuis fluidorum quantitatem unam eandemq; non esse. Videas enim interdum hominem robore insigni pollentem, alacrem laboribus impigris ferendis aptum atque idoneum, cujus facies florida

florida admodum est atque rubore suffusa, non obscuro indicio, nervos non minima activi principii, vasque sanguiflua insigni sanguinis quantitate esse repleta, cum alii contra paulo sint torpidiores, ad somnum magis proclives, ex labore mox langventes ac pallidi, quorum vasa nempe neque tanta spirituum, neque tanta sanguinis quantitate sciant. Et nonne quotidie in sexu sequiori observare solemus, quod multæ puellarum fœminarumque per aliquot dierum decursum haud mediocrem sanguinis quantitatem per genitalia egerant, cum aliæ non minus sanæ paucum nec diu durantem mensium fluxum patiantur. Idem discrimen quoque in viris animadvertere est, quem enim latet, eorum alios sanguinis adeo esse feraces, ut criticis quoque hæmorrhagiis admodum sint obnoxii, vel opus habeant, ut abundantiam, quæ corpori tandem oneri est, venæ sectione similique remedio minuant, alios vero pariter sanos tantam saltem sanguinis copiam conficere, ut per totum pene vitæ tempus neque hæmorrhagia corripiantur, neque sanguinis missione utantur. Ut nihil jam de varia spermatis, bilis, lactis, aliorumque particularium humorum quantitate dicam. Satis enim notum est atque perspectum, multos propter liquoris genitalis abundantiam ad venerem admodum esse proclives, plurimos porro propter luxuriantem bilem alvum naturaliter laxam sentire, multas denique mulierum tam uberem lactis proventum in mammis percipere, ut citra sanitatis dispendium duobus ac tribus infantibus alendis sint peridoneæ, secus ac in iis observamus, in quibus modicus magis præmeratorum liquorum proventus animadvertitur. Ex quibus jam dilucide apparere opinor, humorum quidem quantitatem pro cujuslibet individui idiosyncrasia variare, eam tamen tamdiu pro naturali haberi, quamdiu fluida motum suum expedite peragunt, functionibus suis rite præfunt, nihilque damni partibus solidis earundem-

que functionibus inferunt. Aliter longe est res comparata, quando fluida excessu defectuq; peccantia tubulos partium jam nimium replendo & premendo, jam eos deplendo iisdemque parum renitendo æquilibrium tollunt, inde enim non possunt non infinita propemodum morborum genera propullulare. Prolixum nimis & a præsentis scopo alienum foret, si spirituum, sanguinis serique defectum universalem & particularem, nec non reliquorum humorum laudabilium æque ac excrementitiorum penuriam vel exsuperantem quantitatem, morbosque hinc provenientes specialiori examini vellemus subicere, præcipue cum hæc omnia ad Pathologiam magis, quam Physiologiam spectent.

## §. XIV.

Præterea ad sanitatem requiritur, fluida iusta qualitate ut gaudeant. Hæc autem partim naturali particularum constitutarum indoli, partim definitæ earundem proportioni, partim denique congruæ mixturæ debetur. Sane ad naturalem fluidorum qualitatem requiritur, ut partes integrantes, nempe aëreo-æthereæ, aqueæ, gelatinosæ, oleosæ, salinæ, terrestres, ita sint comparatæ, ut ex his composita fluida laudabilia corpori roborando, nutriendo, conservando & propagando, excrementitia vero eidem repurgando sint idonea. Quare si particule gelatinosæ sunt pituitosæ, si salino-salsæ acres & corrosivæ, si sulphureæ minus subtiles & crassæ, si peregrinæ prorsus moleculæ fluidis inexistunt, infinita propemodum ratione temperies humorum læditur & evertitur. Equidem Physiologi ingeniose non minus, quam laboriose in particularum constitutarum qualitatem inquisiverunt, *Hippocrates* tamen, particularum diversitatem paulo attentius perpendens, non citra rationem: In sunt, inquit, in homine & amarum, & dulce, & acidum, acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque ac robor. Atque hæc quidem mixta inter se ac temperata, neque

que conspicua sunt, neque hominem lædunt. Proinde crediderim in bona fluidorum qualitate definienda effectus eorum rationem simul esse habendam. Quod si enim is in totius corporis sanitatem & emolumentum vergit, merito qualitas naturalis erit censenda. Plus simplici vice observatum fuit, eorum sanguinem reliquosque humores, qui non minimam thermarum quantitatem ingurgitant, sale alcalico ita imbui, ut liquor obscœnus aliique humores cum acido tensibiliter effervescent, non obscuro argumento, in iis præ aliis sal alcalinæ naturæ dominari. Sed accidit subinde, ut perfecte sani, nescio pro quorum malorum futurorum provisu thermis utantur, atque durante cura nihil mali sentiant, sed bene ingerant, digerant, egerant, reliquasque functiones expedite peragant. Ex quibus clare innotescit, hujus naturæ sal quidem secundum consuetas naturæ leges in humoribus haud oberrare, idem tamen attemperatum sanitati nil quicquam obesse. Neque facile mihi persuaderi poterat, liquorem gastricum in sanis semper ejusdem indolis particulis constare, præcipue cum idem pro vitæ genere atque alimentorum varietate non parum variare videatur. Porro opus est, ut elementa humorum definita proportione gaudeant, id est, ut neque aqueæ, neque salinæ reliquæque particulæ, ceteroquin justam qualitatem indeptæ, vel excessu vel defectu peccent, alias enim qualitas humorum nunc solito salstior, nunc justo fluidior sicque porro evadit. Tandem quoque requiritur, ut particulæ congrua mixtura sint attemperatæ, hac enim privatæ, & ex amico consociationis vinculo dimissæ, ut ut neque naturali constitutione, neque proportione peccent, tamen aqueæ cum aqueis, gelatinosæ cum gelatinosis, salinæ cum salinis consociatæ crasin humorum sensibiliter lædunt, variisque malis fomitem præbent. Sed quoniam in omnibus sanis particulæ fluidorum elementares non eadem subtilitate & puritate, non eadem proportione, non

eadem mixtura gaudent, hinc est, quod eorum motus tum intestinalis, tum progressivus diversus quoque observetur, & inde tam varia emergant temperamenta, quibus sanos donatos animadvertimus, quæque individualiter considerata promodum sunt infinita, tametsi plerique Physiologorum ad quatuor summa genera, sanguineum nempe, phlegmaticum, cholericum & melancholicum eadem reducere soleant.


## §. XVI.

Ex partibus hisce coagmentatum corpus non modo iusto, quod fluidis activis cum solidis intercedit, æquilibrio gaudet, verum etiam facultatem eo ipso acquirit, non fortuitos, sed divina lege constitutos motus edendi, qui omnes ad definitum finem tendentes in sanitatem amice conspiciunt, quibusque idem & a putredinis labe, & ab aliis morbis, quos nullatenus ad putredinem referre possumus, aliquandiu immune præstatur, aut iisdem implicitum eorundem motuum & imprimis secretorium & excretorium virtute ab iis liberatur, quorum ulteriori explicatione in præsentis supersedemus, utpote de quibus in antecedentibus dissertationibus jam jam egimus. Sed cum mens cum corpore arctissimum commercium, alat, certe præterea ad hominis sanitatem requiritur, ut æquilibrium, quod menti cum corpore intercedit, sartum sit tectumque, id est, ut corpus bene constitutum varia expendenda menti placide offerat, imperataque ejus fideliter exequatur, & ut mens tranquillitatis amans ministerio spirituum corpus blanditer regat, neque iusto gravioribus pathematibus indulgens varias motuum anomalias in corpore excitet. Quam misera hominis constitutio sit, si culpa corporis æquilibrium illud fuerit sublatum, & apostectici, & soporosi, & ebrii, & febribus ardentibus aliisque hujus generis malis cum æstuoso sanguinis spirituumque motu complicatis laborantes affatim docent. Tempore namque illo mens torpidos spiritus excitare, vel in irregulari &



ri & impetuoso motu constitutos corrigere & emendare nequit, ut hinc homo aut stipitis ad instar sine motu sensuque jaceat, vel deliras, absurdas maleque coherentes ideas concipiat, a quibus malis mens non ante liberatur, quam spirituum motus instaurati, sedatique ac correcti fuerint. Neque vero minus incommodi a perverfis mentis actionibus corpori imminet. Equidem in præsens de ira, mœsticia, curis, lascivia, similibusque animi affectibus non erit sermo, quibus mortales sine sensibili sanitatis læsione subinde plus justo indulgent. Quantumvis enim exoptandum foret, ut quilibet consequendæ veræ mentis tranquillitati, divinæ voluntati apprime consentaneæ, sedulam impendat operam, tamen quam raro id accidat, experientia satis superque docet. Quod eo magis dolendum, quo minus concupiscentiæ illæ prævæ corporis temperiei semper debentur. Equidem non nego, dari luctam carnem inter spiritumque, non nego varia corporis temperamenta flectere mentem ita posse, ut nunc ad superbiam, nunc ad avaritiam, aliumve ejusmodi affectum magis proclivis reddatur, tamen crediderim quoque, interiorem mentis sensum post deplorandum Adami lapsum adeo esse corruptum, ut veram tranquillitatem aversetur, variisque concupiscentiis illam turbantibus delectetur. Quare nisi lumine rationis & gratiæ obscuratus intellectus illustretur, perversa mentis inclinatio tempestive emendetur, contra huic plus justo indulgeat homo, certe eadem hinc promanabunt pathemata, quæ plerumque a certa corporis temperie coactè satis derivantur. Sic videas interdum hominem quoad corpus phlegmaticum, quoad animi mores cholericum, superbiæ nempe, ambitioni, iræ, impatientiæ, præcipitantiæ, vehementiæ veneris, odio aliisque pathematibus, cholericis quæ plerumque attribuuntur temperamento, perquam deditum. Et quid sentis de sene impotente, in cujus corpore flamma venerca est extincta, eadem  
in ani-

in animo adhuc haud parum faviente. An itaque, qui ab animi moribus ad corporis temperamentum argumentantur, veritatis punctum semper attingant, cuilibet judicandum relinquo. Sed impraesentiarum de iis potissimum pathematibus agemus, quæ æquilibrium tollendo noxam aut ruinam corpori inferunt. Tragica ejusmodi exempla Viri Celeberrimi, *Hoffmannus*, *Verdrief*, *Langius*, aliive collegerunt, ad quos benevolum lectorem brevitatis gratia remittimus. Perinde vero erit, siue mens curis, speculationibus profundioribus, mœstitiæ aliique istiusmodi affectui diutius quam par est inhærens blandæ spirituum distributioni haud invigilet, sed potius eosdem in cerebro fatigando efficiat, ut nervorum per quaslibet partes dispersorum tono paulatim labefactato, omnium partium actionumque ab illis pendentium vigor sensibilibiter minuatur, indeque varia mala emergant, siue mens vehementia terroris, iræ, similisve affectus abrepta spiritus, spontaneo naturæ ductu in partes influentes, superaddito minori majorique impetu tam immoderate impellat, ut varii motus a naturalibus deflectentes in corpore suscitentur, spasmi que nunc in externis, nunc in internis, nunc in toto corpore moveantur, aut spasmus in corde nimis faviente vitalis ille circulus derepente sistatur, siue vi pathematum ad angustias redacta gyrosus & irregularem spiritibus imprimat motum, ut ii, sine ordine dum in nervos influere nequeunt, vertigini, lypothimie, apoplexiæ, aliique hujusmodi affectui occasionem subministrant. Præsentis instituti ratio haud fore, ut omnia particularibus exemplis illustremus, cum ex hisce jam jam clare innotescat, sanitatis rationem non modo in justa corporis dispositione & ab ea promanante amabili partium solidarum fluidorumque actione & reactione, verum etiam in certa virium mentis corporisque in se mutuo agentium proportionem, seu æquilibrio consistere, ut hinc cuilibet, cui corporis salus curæ cordique est, affatim habeat, cur exoptet oretque, mens sana ut sit in corpore sano.




ULB Halle  
005 362 326

3







DISSERTATIO  
DE  
SANITATE,

1718, 18. 3

QUAM  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS  
MEDICÆ CONSENSU

SUB PRÆSIDIO

DN. D. POLYCARPI GOTTLIEB  
SCHACHERI,

P. P.

AD D. II. SEPTEMBR. ANNO MDCCXVIII.

L. H. C.

M. GOTTLIEB FRIDERICI,

Tauchens-Misnicus,

PUBLICO EXAMINI

SVBJICIT.

LIPSIAE,  
LITTERIS SCHEDIANIS.

41.

*b* *H. Prof. Juny*